

in bonorum cordibus agitur, septiformis ille spiritus per inspirantem gratiam operatur. Et infra: Salvo humanæ voluntatis arbitrio, et omnino absque ulla vocatione, qualibet bona voluntas per inspirantem gratiam in divinæ voluntatis complacitum conflat, et ideo homini ad retributionem gloriæ cumulatur, quidquid ex libero mentis consensu in ipsa divinitus agitur. Ubi et omnem coactionem excludit, id est, necessitatem extrinsecus provenientem, juxta communem morem loquendi Patrum, ut explicavi sæpe, et per divinam inspirationem solam hanc fieri arbitrii præmotionem et mirabilem inductionem, apertissime sentit. Nec possunt alii auctores inspirationem, prædeterminationem interpretari, quia nec proprietas sermonis id permittit, ut jam sæpe dixi, alias et ipsi cogentur dicere etiam actus malos fieri inspiratione divina, cum prædeterminatione fieri dicant: illud autem absurdissimum esse ipsi etiam non diffitebuntur.

15. Septimo, Laurentius Justinian. — Septimo, his adjungo Laurentium Justinian., de quo quidam asseruit multa docere, in lib. de Gradib. perfect., cap. 5, quæ nobis repugnant. Citat autem imprimis verba quæ expendo; illud Roman. 5: Charitas Dei diffusa est, etc. adjungit; non, inquit, extorquetur violenter, nec sollicitudine hominis reperitur, sed diffunditur ex alto in cordibus electorum, quoties et quando eidem spiritui placet, qui (Domino perhibente), ubi vult spirat, auditurque vox ejus, ignoratur tamen unde veniat, aut quo vadat. Porro Spiritus iste Sanctus quemadmodum est potens in opere, in sermone efficax, in dilectione fervidus, ita est in consolando promptus, in exhortando intentus, et in se communicando munificus.

16. Sed quid in his verbis nobis repugnet, non video; multa autem quæ non parum faveant considero: nam primum illud, quod divinus amor non extorquetur violenter, satis repugnat physiciæ prædeterminationi ab extrinseco provenienti, et non relinquenti in voluntate indifferentiam, ut se omnino libere ad amandum determinet. In proxime autem sequentibus verbis: Nec sollicitudine hominis reperitur, sermo est de sollicitudine, quæ sola propria industria et libertate fiat, præcedatque Sancti Spiritus afflatum, et ita illa sententia punguntur Semipelagiani; per eam vero non excluditur libera cooperatio, propriusque conatus post divinam inspirationem, et cum cooperante gratia Dei. Multoque minus negatur sollicitudo cooperandi divinæ gratiæ in usu

charitatis, cum Paulus dicat: Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Et ideo fortasse non dixit Sanctus: Nec sollicitudine habetur, aut exercetur, sed reperitur, quia loquitur de tota infusione ejus, ut ab inspiratione divina incipit; sic enim non reperitur sollicitudine, sed incipit inspiratione divina, quam, (præsertim congruam) Spiritus Sanctus præbet, prout vult. Loquendo vero de ipsa justitia, vel libera conversione, ait idem Sanctus, cap. 6: Hæc est thesaurus intus absconditus, hæc est prætiosa margarita cum sollicitudine et sudore reperta. In reliquis autem citatis verbis, docet Laurentius divinam inspirationem consistere, vel in auditu interiori, ubi vox Spiritus Sancti percipitur, et ratione illius dicitur Spiritus Sanctus efficax in sermone, quia loquitur ad cor, et modo illi congruo, quando vult, et ita est efficax etiam in operando, consolando, exhortando, et cætera quæ ibi dicuntur, in quibus nullum vestigium physiciæ prædeterminationis reperio. Et ulterius pondero quod paulo inferius ait: Homo autem virtutis amator, gratiæ cooperatur, ratione trahitur, charitate informat, boni et honesti delectatione allicitur, bellum quoque sibi ipsi inducit, in quo non licet terga vertere, nec in propria virtute confidere.

17. Ex capite vero sexto allegantur hæc verba: Omnes quoque prævenit donis, excitat clamoribus, et præoccupat promissis. At quis hoc neget? Certe hæc verba potius confirmant quod docemus, prævenientem gratiam in divinis excitationibus et internis clamoribus positam esse. Maxime vero spectanda sunt omnia antecedentia, in quibus idem Sanctus docet hanc gratiam sufficientem, et omnibus offerri, et homini imputari, quod vel illam non recipiat, vel quod illi pulsanti non pareat, et similia quæ cum physica prædeterminatione non posse subsistere a nobis ostensum est. Ad dit vero inferius hæc verba, quæ doctrinam nostram valde confirmant; cum Spiritu Sancto enim per admirationem loquens, ait: Ut errantium mortalium attraheres corda, quotidie per aspirantem gratiam et veritatis lumen, atque internam vocem, etc., utique facis ut convertantur ad cor, et iterum: Interioris hominis pulsas ad januam, etc., ut tibi pulsanti per obedientiæ virtutem spiritualis habitaculi sui patefaciat aditum. Ad eundem modum explicat gratiæ efficacitatem idem Pater, serm. de Epiphani., ubi inter alia dicit: Est autem gratia gratum faciens quasi matutina stella præfulgida, quæ electum quemque præcedens corde

ducit ad Christum. Ac denique cum frequentissime in suis operibus de gratia loquatur, semper modum operandi ejus juxta doctrinam quam sequimur, declarat.

18. Octavo, Abulensis. — Octavo, inter hos Sanctos Patres recensemus Abulensem, qui ob insignem eruditionem et sanctitatem id sibi promeruit. Ille igitur punctum hoc attingit in cap. 19 Matth., q. 174, quem locum contra nos quidam objicit, dicens ibi Abulensem docere, Deum præmovere et inclinare liberum arbitrium salva ejus libertate. Verumtamen Abulensis verba inspiciamus. Primo igitur sic ait: Homo, secundum naturam, habet libertatem arbitrii, nisi ad eum pertineret determinatio sui operis ut ex proprio judicio eligeret hoc. Sæpiusque in discursu illius quæstionis repetit rationem libertatis in hoc consistere, quod possit voluntas se ad utramque partem, seu ad volendum, vel ad non volendum determinare, nullamque in tota illa quæstione specialem prædeterminationem gratiæ tribuit, neque in generali concursu præviam motionem in causa agnoscit; solum enim in solut. ad 2 dicit: Sine Deo gratis donante nihil possumus facere, cum ipse sit causa universalis, et principium omnis boni, non solum in hominibus, sed etiam in omnibus creaturis. Idemque repetit in solut. ad 3 dicens: Deum agere interius in ipsa voluntate, sicut in aliis rebus. Agit enim de concursu ad volendum, qui est in voluntate, quia in illa recipitur actus volendi.

19. Explicatur in quo liberum arbitrium se moveat, determinet, et moveatur ab alio. — At vero, in quæst. 175, ad 1, fuse explicat in quo liberum arbitrium se moveat et determinet, et in quo moveatur ab alio, et in summa dicit, proposito sufficienter objecto, per suam libertatem se flectere in hanc partem, vel aliam: Et non est quærenda (inquit) alia causa, neque dependet, quantum hoc, liberum arbitrium ab aliquo, sed per naturam suam hoc potest, ubi non excludit dependentiam a concursu generali Dei, quam jam docuerat; excludit ergo solum causam prædeterminantem, seu quæ flectat arbitrium ad hanc partem potius quam ad illam, nisi cooperando cum illo. Quia vero ad hanc determinationem necesse est ut præcedat cogitatio, quæ non potest semper esse ex motione ipsius voluntatis, concludit necessarium esse devenire ad motorem extrinsecum, qui præmoveat voluntatem ad deliberandum. Et quoad hoc ait ita voluntatem esse dominam sui actus, ut indigeat moveri a Deo, utique prævia motione, quæ per cogitationes fit,

et alios motus similes his, quos Deus in mente nostra facit, qui certe motus non sunt nisi motus gratiæ excitantis. Deinceps vero late explicat quomodo, per hunc modum, Deus faciat voluntatem eligere vel non eligere aliquid, non ex parte ipsius voluntatis, prædeterminando illam, sed ex parte objecti, immutando intellectum; et inter alia dicit: Propositis duabus partibus contradictionis, Deus facit quod una earum eligatur, non quidem determinando liberum arbitrium ad hoc, et distrahendo ab illo, quia hoc esset contra conditionem libertatis, et nihil relinqueretur libero arbitrio, per quod esset liberum, sed ex parte intellectus, ut late prosequitur, semperque in hoc insistit, quod Deus non determinat voluntatem directe, sed indirecte, id est, ex parte intellectus. Quæ quidem doctrina directe repugnat cum physica prædeterminatione, quamvis multa alia, quæ ibi Abulensis attingit, majori explicatione indigerent, et tamen omitto, quia nihil ad præsentem causam referunt.

20. Locus notandus in Abulense. — Præterea est locus notandus in Abulense, Matth. 25, q. 62, ubi, tractans illa verba parabolæ de decem virginibus: Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, eaque accommodans ad conversionem, sic ait: Verum est quod præcedente clamore, id est, pulsatione Dei, omnes excitantur, quia quando Christus efficaciter vult pulsare, nemo est qui non excitetur. Verum est enim quod multi vocantur, qui non obediunt, quia pulsatio illa non est efficax, saltem respectu illorum; nam si Deus vult fortiter pulsare, necesse est quod exaudiat homo, quia cor hominis in manu Dei est, et quocumque voluerit, vertet illud (Proverb. 21); in pulsationibus autem minoribus quidam obediunt, et quidam non. Unde ab æquali pulsatione quidam movetur, et alius non, scilicet, quia non sunt æqualiter dispositi, et talis modus est quantum ad augmentationem charitatis per actus nostros; quod autem velit Deus quosdam pulsare efficaciter, et alios non, ab ejus liberalitate provenit, quia vult quibusdam potius benefacere quam aliis, cum nulli teneatur (ad Roman. 9), quod cui vult miseretur. Ubi duo expendo: primum, quod ponit efficaciam in gratia excitante; secundo, quod non ponit illam in efficacia physica, quam excitatio ad determinandam voluntatem ex se habeat, sed in congruentia ad personam cui datur, nam ideo dicit, eandem excitationem in uno esse posse efficacem, et non in alio.

21. Thomas Waldensis. — His addere pos-

sumus Thomam Waldensem, libr. 1 Doctrinal. fidei antiquæ, cap. 23 et sequentibus, præsertim in 25. Nam et tempore æqualis est Abulensi, et eruditione ac auctoritate, præsertim in confutandis hæreticis, non inferior. Non oportet autem verba ejus referre aut ponderare, quia et rem ex professo disputat, et acriter invehitur in quosdam Magistros, qui periculose, ut ipse ait, necessitatem antecedentem, ex efficacia divinæ voluntatis provenientem, in actibus voluntatis humanæ jam tunc introducere conabantur, et per hoc, ut ipse judicat, concordiam libertatis humanæ cum operatione divinæ gratiæ et voluntatis impossibilem reddebant. Et ideo quamvis, in libris de Auxiliis, hujus viri testimonio usus fuerim, nihil contra ab adversariis dictum vel objectum est.

CAPUT XLV.

QUID D. THOMAS DE HAC CONTROVERSIA, SEU DE AUXILIO GRATIÆ EFFICACIS SENSERIT.

1. *D. Thomas non favet adversariis. — Advertendum.* — Præcipuum auctoritatis nomen quo defensores physicæ prædeterminationis nos premunt, et sub cujus umbra defendi student, est nomen et auctoritas divi Thomæ, et ideo nihil fere in hac materia docent, nec conclusionem ponunt, quam non dicant esse ex mente D. Thomæ, vel frequentius esse expressam D. Thomæ, ita ut, licet ipsi semper inter se contraria doceant, unusquisque intrepide affirmet suam sententiam esse expresse D. Thomæ. Nos vero credimus in hoc puncto a nobis stare D. Thomam, vel saltem non repugnare, et ideo, ad ejus sententiam accuratius indagandam, hunc locum et caput hoc integrum designavi. In quo prius proponam loca quæ pro contraria sententia afferri solent, deinde producam quæ nobis favere videntur, et utraque diligenter expendam ac explicabo. Adverto autem quatuor præcipua capita, seu ordines testimoniorum posse in doctrina D. Thomæ spectari; in primo sunt generalia in omnibus causis secundis, quatenus a concursu causæ primæ in agendo pendent, et de his dixi lib. 3, cap. 38. In secundo ordine sunt quæ de libertate voluntatis generatim loquuntur, quæ tractavi in eod. lib., cap. 44. In tertio gradu pono illa quæ sunt de modo quo Deus concurrat ad actiones peccaminosas, quatenus tales actiones reales sunt, et hæc attigi in eodem libro,

cap. 49. In quarto specialiter collocantur quæ de auxiliis, et motionibus gratiæ tractant. Et hæc sola ad præsentem locum pertinent.

2. *Proponuntur loca D. Thomæ, quæ pro contraria sententia afferri solent. — Objectio prima. — Solvitur.* — Primo ergo allegatur divus Thomas 1. 2, quæst. 9, artic. 6, quia in corpore affirmat Deum solum, et non agentia creata movere voluntatem; sed agentia creata, ut Angeli, possunt voluntatem moraliter movere; ergo Deus altiori modo, atque adeo physice potest movere et prædeterminare. Sed hæc objectio non magis procedit de actibus gratiæ quam de actibus ordinis naturalis, nam doctrina ibi data a D. Thoma generalis est. Illatio ergo dupliciter deficit. Primo, quia non loquitur ibi D. Thomas de præmotione voluntatis, sed de motione. Deus autem non solum movet voluntatem per auxilium præveniens, sed etiam per auxilium, seu concursum simultaneum, quem D. Thomas sæpe vocat motionem primi moventis, in eadem 1. 2, q. 109. Et ita nihil aliud est movere voluntatem, quam aliquid agere in ipsa, sicque D. Thomæ discursus eo tendit, ut probet ipsum motum voluntarium causari a Deo in voluntate. Concedimus ergo loqui de motione physica, negamus autem inde sequi loqui de motione prædeterminante. Secundo vero damus illam doctrinam esse veram, etiam de motione præveniente; in ea vero, ut supra attigi, duo oportet distinguere: unum est, quomodo fiat; aliud, quomodo causet liberum motum voluntatis. Ipsa ergo motio, cum sit aliquid reale inherens voluntati, scilicet aliquis motus deliberatus ejus, physice fit, et imprimatur a Deo, qui in hoc superat omne genus creatum. Illa autem motio causat consensum morali modo, et in hoc etiam est differentia inter Deum et Angelum, quia ipsamet causalitas moralis longe altiori modo est a Deo, et simile discrimen est ex parte intellectus, nam Angelus solum potest illum excitare, applicando objecta, vel phasmata; Deus autem per se, illuminando, et physice efficiendo in ipsum. Et ita in præmotione est physica efficientia Dei propria ejus sine physica prædeterminatione.

3. *Objectio secunda. — Removetur.* — Secundum argumentum sumi solet ex solutione ad 3 ejusdem articuli, ubi, cum dixisset Deum, ut universalem motorem, movere hominem ad bonum, ipsum autem hominem per rationem se determinare ad hoc vel illud determinate volendum, adjungit: *Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid*

determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam, ut infra dicitur. Respondeo tamen aliud esse prædeterminare voluntatem quoad exercitium actus, aliud movere voluntatem ad aliquid determinate volendum. Nam a priori prædeterminatione non potest separari consensus, ex intrinseca vi talis determinationis; ab altera vero motione potest consensus separari, quantum est ex vi talis motionis. Unde per sufficientem gratiam prævenientem movetur, id est, allicitur et excitatur voluntas ad aliquid determinate volendum, scilicet ad fidem, vel penitentiam, etc., et nihilominus talis motio non prædeterminat voluntatem. Itaque illud adverbium *determinate*, quod D. Thomas adjunxit, non opponitur indifferentiæ, vel potestati resistendi, sed opponitur generalitati motionis. Dixerat enim ibi, quod Deus movet voluntatem, ut generalis motor, ad universale bonum; huic ergo universali motioni opponit determinatam motionem, quæ fit per gratiam; tamen sicut illa motio universalis non determinat physice voluntatem ad exercitium actus circa universale bonum, sed ad summum quoad specificationem, juxta doctrinam ejusdem D. Thomæ, ibi, quæst. 10, art. 2, ita etiam motio gratiæ ad aliquid determinate volendum, non determinat quoad exercitium actus, sed determinat ad certam speciem, licet non determinando absolute et simpliciter, etiam quoad specificationem, quia cum bonum sit particulare, potest voluntas aliud illi præferre pro suo arbitrio, in quo differt hæc motio ab alia, quæ est ad bonum in communi. Potest tamen illa motio dici determinare ad certam speciem actus, quantum est de se; nam si ex tali motione voluntas deliberate operetur illi consentiendo, efficiet honestum actum in tali vel tali specie, et non alium. Unde potest hæc motio esse, vel ex parte objecti, illuminando intellectum circa tale bonum, vel ex parte voluntatis, simplicem aliquem affectum vel suavitatem circa illud præbendo, manente semper indifferentia voluntatis ad talem motionem sequendam; sicut etiam habitus inclinatur ad aliquid determinate volendum, relinquendo indifferentem voluntatem, ut illam inclinationem sequatur, vel ei resistat.

4. Et juxta doctrinam, ad intelligenda alia loca D. Thomæ, oportet distinguere verbum *determinandi*; nam intelligi potest, vel de determinatione quoad exercitium actus, et in hoc sensu nunquam invenietur apud D. Tho-

mam, voluntatem in hac vita prædeterminari ab aliquo exteriori movente. Alio modo significare potest verbum illud determinationem quoad speciem actus, vel necessitando quoad specificationem, ut respectu boni in communi, vel inclinando tantum, quantum est de se. Et hoc modo dicitur interdum voluntas determinari ab habitu, vel a passione, vel ab objecto, et proprius dicitur moveri ad aliquid determinate volendum, ut D. Thomas in illa solut. ad 3, locutus est. Aliquando vero ita loquitur D. Thomas; nam 1 contr. gent., c. 82, ad 4, dicit: *Bonum apprehensum voluntatem determinare ut objectum proprium.* Ubi Ferrariens. notat, *determinare* illo modo, nihil aliud esse quam dare speciem actui, et ibidem distinguit duplex determinans, unum efficiens, aliud specificans, et hoc posteriori modo dicit ibidem, voluntatem divinam determinari ab intellectu, cum tamen certum sit non determinari quoad exercitium actus, nisi ad dilectionem sui, ad alia vero solum objective, ut voluntas possit ad hoc vel illud suum actum terminare. Et in eadem significatione D. Thomas, quæst. 6 de Malo, articulo unico, distinguit exercitium actus a determinatione, et exercitium dicit esse a voluntate movente seipsam, determinationem vero esse ab objecto. Sic ergo in citato loco dicit Deum per gratiam movere ad aliquid determinate volendum, quia movet ad particularia objecta, quæ non possunt nisi per determinatos et particulares actus amari.

5. *Objectio tertia. — Evertitur.* — Tertio, objiciunt totam quæstionem 109 D. Thomæ, in 1. 2, in qua sæpe D. Thomas dicit indigere hominem, ad opera gratiæ, auxilio Dei moventis. Sed illa loca non pertinent ad auxilium prævium, seu præveniens, sed ad concursum simultaneum, seu auxilium concomitans, quod cum proportione generale est omnibus rebus, ut in lib. 1 et 3 ostendi sæpius. Et ideo hanc objectionem omitto, solumque adverto, ubi D. Thomas, in illa quæstione, postulat auxilium gratiæ prævenientis, præter rationem illam primi moventis, explicare illud per verba pertinentia ad excitantem gratiam, et moralem inductionem, et directionem; sic enim dicit art. 9: *Necesse est nobis ut a Deo dirigamur, et protegatur, quia omnia novit, et omnia potest*, quæ verba sunt valde notanda, nam in eis P. Sanctus explicat gubernationem internam prævenientis gratiæ morali modo, et illius certum et infallibile regimen non tribuit soli omnipotentiæ, sed ad-